

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XIX.
EX XXII. CAPITE

Geneseos, ad disputandum
proposita.

De qua

D. O. M. A.

Præfide

SALOMONE GESNERO, S.S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi.

Die 14. Februarij, Anno 1599. pro viribus, exercitij
gratiâ respondebit.

MATTHIAS HOE,
Nobilis, Austriacus,



VVITEBERGAE,

Imprimebatur Typis Meissnerianis,

M. D. XCIX



Viro Nobiliss: & Præstantiss:

Dn. FERDINANDO HOE, &c.
fratri meo γυνώσκῳ, æternumq; colendo,
amando.

Nec non

Dn. FRIDERICO RAVHENPER-
GERO von Haanfeldt/Nobili Styriaco,
affini, & amico amicissimo
S. P. D.



*Isce ego donatus tibi, vos dono,
celebres*

Amore candidissimo,

Quo, velut eximio pastu, nutritus in annos

Dulcissime sum plurimos.

Hoc urgente, TIBI FRATER charissime, quicquid

Munusculi est, nunc offero

SOLI, cum SOLO FRIDERICO, sumite SOLI,

Quibus dico, do, destino.

Frat. Aff. & Amicus

M. H. V. A.

Resp:

XIX . C . M

Theſis prima.

DE pueritiâ Iſaaci capite proximo dictum eſt, jam de juvenili eius ætate agendum erit. Nam in capite XXII, Iſaac ſuæ erga Deum pietatis, erga parentes obœdientiæ, inque ſtudio Theologico profectum, fidei & ſpei documenta non verbis ſed factis edit.

II.

Caput ipſum quinque narrationis membra complectitur. Principio enim promulgatur Abrahamo mandatum Dei de immolando filio Iſaaco, verſ. 1. 2. Deinde commemoratur quam libenter hac in re Abrahami Deo paruerit, verſ. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Tertio recitatur mandati retractatio, verſ. 11. 12. 13. 14. Quarto Abrahamus à Domino iterum benedicitur, domumq; revertitur, verſ. 15. 16. 17. 18. 19. Poſtremo loco catalogus familiæ Nahoris recenſetur, ver. 20. 21. 22. 23. 24.

III.

Loci Communes ſeu Theſes, quæ ex hypotheſi ſingularum partium emergunt, ſunt iſtæ inprimis, quæ in diſputando quoq; attendi & examinari debent: 1. num & quomodo Deus tentet. 2. annon in Deo ſit voluntatis vel contrarietas vel mutabilitas. 3. num obœdientia erga Deum naturæ & legi morali poſſit eſſe contraria. 4. de lucta fidei cum carne. 5. an fides ſit cæca aſſenſio ſine notitia: 6. de humanis victimis: 7. de mortuorum reſurrectione: 8. de parentum ſogyn: 9. de locorum religione & ſanctitate: 10. de temporum diſcretionem: 11. de mendacio & ſimulatione: 12. de typo paſſionis Chriſti: 13. de preparatione ad felicem & ſalutarem obitum: 14. de providentia Dei: 15. de monumentis: 16. de cultibus electiſſis: 17. de iuramento Dei: 18. an Abraham operibus vel fide iuſtificatus: 19. de gentium benedictione: 20. de operum bonorum remuneratione: 21. de Iobi genere, 22. de Syrorum & linguæ Syriacæ ortu.

Controverſie in hac diſputatione excutiende.

Queſtio prima, de tentatione, δοκιμασία & exploratione Abrahami.

A 2 IV. Ten-

IV.

Tentatio Abrahami primo occurrit, in qua consideratur quis, quem, quando, quomodo & cur tentaverit.

V.

Moses breviter ait: post hæc verba seu gesta tentavit Deus Abrahamum. Frivolum est, quod ex parva genesi Cedrenus refert: Mastiphaten dæmoniorum principem ad Deum accessisse ac dixisse: Si te diligit Abrahamus, immolet tibi filium suum.

VI.

Num Deus quenquam tentat? Ad malum equidem, seu, quod idem est, mali finis & perditionis causa nemo à Deo sed à diabolo tentatur Iac: 1. 13. Deus enim tentat, ut doceat, diabolus tentat ut decipiat, iuxta Augustinum.

VII.

Cur Deus tentet Abrahamum.

Sed cum divinam sapientiam alioquin nihil lateat, & tanta sit Dei bonitas, ut suos non ultra vires tentet, sed è tentatione potius exitum monstret, videtur ista, quæ Abrahamum explorat, *δοκιμοῖα*, tam sapientiæ quàm bonitati Dei non usque adeo consentanea, 1. Cor: 10. 12.

VIII.

Imò verò tam exquisitum examen instituebatur, non ut Deus Abrahamum, sed ut ipse semetipsum agnosceret, & ut posteritas documentum acciperet. Rom. 16.

IX.

Vnde Augustinus Serm: 72. de temp. Sic ergo ignarus est Deus rerum, sic nescius cordis humani, ut tentando hominem inveniat? Absit, sed ut ipse homo se inveniat. Non enim homo sibi ita notus est, ut creatori. Nec sic æger sibi notus est, ut medico. Filium iubetur occidere, ut manifestetur mundo, qui iam notus erat Deo. Idem Serm: 73. quod simili ratione explicat Theodoretus & Alcuinus.

X.

Vires verò ad onus ferendum ipse suppeditat, qui onus imponit, 1. Cor. 10. 5. Psal. 66. 9. 10. 11.

XI.

Atq; hinc Abrahamo tentari à Deo salutare, 2. Tim: 2. 11. Psal

11. Psal. 119. 67. 71. 75. Abrahamæis tentare Deum exitiosum est, Num: 21. 6. Psal. 106. 14. 1. Cor. 10. 9. Ebr: 3. 9.

XII.

Quod Abrahamus, qui tot illustria suæ fidei documenta *Vita nostra* ediderat, nihilominus iterum sub censuram vocatur, indicio *perpetua est* nobis est, in palæstra fidei non esse depugnatum, si semel atq; *tentatio.* iterum feliciter pugnatum, sed cursum consumandum & securitatem tamdiu vitandam esse, quamdiu vivimus, 2. Tim: 4. 7.

XIII.

Turpe quidem in corporali prælio senex miles, sed gloriosum in spiritali. Ideo temporis hic fit mentio, quod post tot præclare gestas res Dominus in difficilem hanc *μωνομαχίαν* patriarcham pertraxerit, Gen. 32.

XIV.

Iosephus eumq; imitati Cedrenus & Zonaras ac Rabini tradunt factum hoc esse cum Isaacus annos 25. haberet, quod non abnuimus. Licet AbenEzra & R. Salomon ad annum XIII. ætatis ejus historiam referant.

XV.

Modum divinæ apparitionis Moses non annotavit, talem autem fuisse, ex quo Abrahamus citra omnem hæsitacionem Dominum agnoscere, & à Satanæ spectris dignoscere liquidissimè petuerit, tota evincit historia.

XVI.

Causæ finales & fructus tentationis ijdem sunt, qui alioquin crucis, quam Deus fidelibus imponit, 1. Cor. 11. 31. Ebr. 12. 5. 6. 7. Iac. 1. 2. & 2. 21. Rom. 4. 17. 1. Petr. 1. 7. 8. 9. 2. Petr. 1. 5. 6. 7.

XVII.

Siquidem tot insunt in tentatione commoda, cur illam deprecamur Matth. 6. 13. & 26. 41.

XVIII.

Non id facimus, quod paternas Dei *δουλομαχίας* subterfugiamus, sed partim, ut à diaboli ignitis spiculis, & propriæ *Cur tentationem deprecemur.* carnis lubricis suggestionibus custodiamur, Rom. 7. 24. Ephe. 6. 18. partim ut sub amicis Dei flagellis conservemur, & iuxta patris voluntatem tempestivè liberemur, Matth. 26. 39.

A 3

XIX. Atqui

XIX.

Atqui plurima se offerunt, è quibus evinci posse videtur, ipsum quoque Dominum homines peccatis & ad exitium tentare, eoq; nos non tam Satanæ & carnis quàm Dei tentationem deprecari.

XX.

*Caluiniano-
rum argu-
menta, qui-
bus asserūt
Deum insti-
gare homi-
nes ad pec-
catum.*

1. Sic enim oramus, ne tu nos inducas in tentationem, 2. diabolus & caro nihil potest nihilq; audet absque Dei voluntate. 3. quia Dominus subtrahit spiritum sanctum, quo subducto nos ruere oportet. 4. Suppeditat occasiones: 5. In deserto Deus Israëlitas tentavit Deut. 8. 2. in Psalmo 26. 2. orat David, ut se tentet, spiritus malus Saulem invasit & turbavit à Domino 1. Sam: 18. 10. & Davidem Deus concitavit, ut numeraret populum, 1. Par: 21. 1. Achabo mittit Deus spiritum mendacem in ore prophetarum. 1. Reg: 22. 19. Item Esa. 63. patres conqueruntur: quare seduxisti nos, errare fecisti cor nostrum à vjs tuis: Christus Philippum tentat, Ioan. 6. 60

XXI.

*Refutatio
eorundem.*

Ad singula breviter respondendum est. Ac de prece-
tione quidem, quem illa sensum habeat, iam dictum est.
Nam si Deus ipse nos ad malum instigaret, impelleret, permo-
veret, ut blasphemè scribit Petrus Martyr locorum communi-
um classe prima cap. 15, quorsum illud adscriberetur in Christi
tentatione diabolo Matth. 4. itemq; in Iobi calamitate Iob 1.
2. quorsum, Satanus Paulum cæderet. 2. Cor. 7. 12. Pcterat
enim honorum angelorum subsidio illud expediri, siquidem
Deus per media idipsum curatum vellet.

XXII.

Spiritus sancti gratiam nemini Deus subtrahit, nisi qui pe-
culanter sese illa privant, quod in Saule, Achabo & similibus in
spiritum sanctū delinquentibus apparet, qui ipsum contristant,
repellunt, extingvunt, & ençiunt, nec ab eo regi volunt, Gen.
6. 3. Act: 7. 51. & 5. 3. 1. Thes. 5. 19. 2. Thes. 2. 10. Matth. 12. 31.
Ioh. 16. 22.

XXIII.

Bona quidem corporalia, impijs æquè ac pijs suppeditat,
non ut sint nequitia illorum subsidia sed paternæ suæ benigni-
tatis testimonia Matth. 5. 45. Luc. 6. 32. Psal. 37. & 73.

XXIV. Isra-

XXIV.

Israëlitas Deus in deserto & Philippum Christus non perditionis sed explorationis & confirmationis causa experiri voluit, ut supra indicatum est.

XXV.

Populum Prophetis immorigerum nequaquam Deus antegressa & absoluta voluntate seduxit, sed ad antecedentem ipsorum pertinaciam consecuto & iusto iudicio, à Pseudoprophetis seduci passus est. 2. Thess. 2. 10. Esa. 6. 9. Actor. 28. 26. Rom. 11. 8.

XXVI.

Diabolus deniq; cum mendacium loquitur ex proprio non ex Dei instinctu loquitur Iob. 8. 44. Et cor hominis post lapsum naturâ malum est à iuventute sua Gen. 6. & 8. Etsi proinde malum damni nec diabolus nec improbi homines cuiquam inferre queunt, nisi Deo permittente, & simul etiam moderante, non tamen malum & peccatum à Deo habent incitante, sed à se ipsis Iob. 1.

*Questio secunda de mandato Dei
ad Abrahamum.*

XXVII.

Sed de hac re iam sufficit. Mandatum Domini porrò expendendum est. Sic enim ait: Sume, age, filium tuum, (quod opponitur seruo,) unigenitum tuum, (quod Ismaëli) quem dilexisti, (quod patris σοφύω, filij pietatem denotat) Isaacum, (quo mirabilis nativitas innuitur) & vade tibi ad terram Mo-
ria, & sacrifica illum ibi in holocaustum, super uno montium, quem dicam tibi.

XXVIII.

Illam in describendo Isaacο ἐπιμονή & ἀγνοία fornacem paterni amoris alioquin flagrantissimum magis etiam incendit, ut ait Chrysost: Neq; diversa & plura, ut Rabinis placet, diversis temporibus prolata sunt præcepta, sed est unicum, quo Deus omnia, quæ Abrahamū remorari poterant, simul complecti voluit.

XXIX.

Quod autem ipse sumere filium iubetur, argumentum est liberi arbitrij in rebus externis ; & quod Deus voluntarium à nobis cultum flagitet Psal: 51. & 110. Eius dextra, iuxta Augustinum, eligitur ad sacrificium, ut Isaac moreretur, cuius correctum erat ad fidem, ut nasceretur.

XXX.

Isaac filius Abrahami nuncupatur, ne aliunde, quam ex illo conceptum suspicemur, & vnigenitus, quia vnicus è Sara susceptus. Ebr; 11. 12. Esa; 51. 2. Neq; enim ideo Isaac ab Apostolo Gal. 4. secundum carnem natus negatur, quasi non de paternæ carnis esset substantia. sed quia de summa eum desperatione susceperat. August: sermone 72. temp ;

XXXI.

Ac cum à Deo, qui solus potest vitam conferre & auferre, pater filium suum sumere iubeatur, non potest hinc illa a-
Partia potestas apud Romanos et Iudeos. testas apud Romanos usitata patrum in filios vitæ necisq; absoluta potestas stabiliri. Donysius Halicarn. l. 2. Plutarchus in Rom ;

XXXII.

Mosaica lege pater filium idololatriæ & hæresi addictum iugulare iubetur Deut: 13. 6. 7. & proteruum ac contumacem helluonemq; itidem supplicio sistere, sed non privato affectu, ut apud Romanos, verum causâ apud iudicem prius disceptata Deuteron. 22. 18.

Annon man datum de immolando Isaac sit quinto præcepto contrarium.

XXXIII.

Cum Deus ipse Gen. 9. 6. dixerit: quicumq; fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, & homicidia quinto etiam decalogi præcepto prohibuerit, non sine causa quaeritur, an non priorem illam sententiam Deus iam mutauerit, aut illi contrarium Abrahamo præceperit?

XXXIV.

Sed Domino legis licet de sua lege disponere. Neq; hæc Specialis exceptio tollit universalem regulam. Exod. 12. 35. & 11. 1. Num: 25. 8. Exod. 32. 27. Ideo non iniuste imperat parricidium, qui prohibet homicidium, ut ait Augustinus.

XXXV.

Terram



Terram Moria græci reddunt ὑψαλῶν excelsam, Chal-
dæus terram cultus: diversitas inde provenit, quod alij ab
מִרְיָה, quod est videre, conspicerem, alij ab מִרְיָה quod est time- *Moria mōs.*
re & colere, appellationem deducunt, nonnullis etiam placet
ab מִרְיָה derivare, ut sit mons Morah, id est, legis & do-
ctrinæ.

XXXVI.

Sed non est, quod in grammaticen scrupulosius inquiramus. Mons Moriah notus est, quod in eo Salomon templum posuit 2. Par. 3. 1. nec inde procul Dominus postea crucifixus est.

XXXVII.

Augustini narrationem è sermone 71. de tempore libet *Mons cal-*
adscribere: Audite, inquit, aliud Sacramentum, fratres charis- *uæ.*
simi, Hyeronimus presbyter scripsit ab antiquis Iudæis se cer-
tissimè cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea
Christus crucifixus est, quod & Adam primus homo in ipso
loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo calva-
riæ locum dictum esse, quòd caput humani generis ibi sepultum
sit. Et verè fratres non incongruè creditur, quod ibi erectus sit
medicus, ubi iacebat ægrotus &c. Hæc ille.

XXXVIII.

Et si autem tunc quidem mons iste præ omnibus alijs à *Locorum su-*
Deo electus est, in quo Isaac pro victima duceretur, in quo etiã *perstitiosa*
suo tempore templum excitaretur, & Christus pateretur. Ne- *religio.*
quaquam tamen inde sequitur, locorum superstitosam religio-
nem, à Deo introductam esse, Iohan: 4. 23. 1. Tim. 2. 8.

XXXIX.

Ac quod postea tum Iudæi, tum ethnici hoc mandato & *Humane*
exemplo abusi liberos suos immolarunt, id à diabolo, qui ho- *victimæ di-*
micida est, illis persuasum fuit, sicut ex eo liquidò patet, quod *vinitus pro-*
isthæc κακοζηλία hinc inde à Prophetis gravissimè repræhendi- *hibitæ.*
tur 2. Reg. 3. 27. 2. Reg. 16. 3. 17. 33. & 21. 6. 2. Par. 28. 3. 33. 6. Ier. 7.
31. 19. 5.

XL.

Superuacanea proinde gentilium planeq: impia fuit opera,
quod conati sūt ostendere, suos quosdã heroës, qui ultrò liberos

B in

in publicis calamitatibus, suis macerant idolis, Abrahamum animi magnitudine superare: & verò inepta Philonis in libro de Abrahamo responsio, qui ex carnali μεγαλοψυχία laudes Abrahami asserere conatur, cū liberos aut quosvis alios iugulare nō fortitudinis & magnanimitatis, sed diabolici furoris inceptū sit.

*Questio tertia de profectione Abrahami cum
Isaaco ad montem Moria.*

XL I.

*Abrahami
promptitudo.* Sed rectè scribit ibidem Philo, nihil honestius nihilq; optabilius quàm parere Deo. Abrahami proinde obœdientia multis à Mose modis celebratur.

XL II.

Principiò enim non cunctatur, sed ilicò mane surgens, ea nocte, ut ex Hebræa phrasi verisimile videtur, qua oraculū acceperat, ad iter sese accingit.

XL III.

Vocati proinde aut aliquid iussi à Deo, absq; mora obtemperemus, neue somnum, amicorum suggestiones, aut quicquā aliud nobis charius, quàm numinis reverentiā, esse nobis, sinamus. Ebr: 4. Psal. 95. 2. Cor. 6. Luc. 17. Gen: 9. Gal. 1.

XL IV.

*Abraham
Saræ insti-
tutum non
indicat.* Ideo Abrahamus nec uxori nec cuiquam domesticorum de negotio quicquam patefacit, ne videlicet vel illi scandalū inde acciperent, vel ipsum à cursu retraherent, ut censet Procopius & Iosephus. Consulendum enim aliorum infirmitati Rom. 14. 13. 14. 15. 1. Cor. 8. 8. 9. 10.

XL V.

Tantumq; patriarcha à pharisaica ostentatione abest, ut ne servos quidē instituti sui velit esse conscios Matt. 6. 2. 5. 16.

XL VI.

Tridui iter. Sed quare non domi aut in loco propinquiore sacrificium parare iubebatur, cur tridui iter faciendum erat? Respondet Alcuinus, ut tentationis augetur incrementum. Fides enim Abrahami non obiter à Deo, sed accuratè explorabatur.

XL VII.

Quid

Quid quod pueris ait, revertemur ad vos? Dissimulationē
aliqui existimant: sed verior Procopij sententia. Cū se sacra fa- *Abraham*
sturū crederet prophetico Spiritu prænunciavit, quod futurum *Propheta.*
erat.

XLVIII.

Idemq; sentiendum est, quod filio percontanti, pater ec-
ce ligna & ignem, ubi autem est pecus ad holocaustum, respon-
det: Dominus sibi prospiciet de pecude ad victimam. Id enim
propheticē prænunciavit, licet inscius, quod eventurum erat.

Questio quarta de colloquio Abrahami cum Isaaco.

XLIX.

Quæritur, annon filium de morte iam iam impendente, deq; *Oratio A*
Dei mandato edocuerit. Orationem satis luculentam Iosephus *Abrahami cū*
commemorat, qua pater filium sit allocutus, antequam vinciret *Isaaco ante*
& aræ imponeret, in qua vnica hæc sententia laudem meretur, *maestationē*
& Abrahamo digna est, quod eum dixisse perhibet: Non vul- *intentatem,*
garem habebis vitæ exitum, sed à proprio patre patri univer-
sum Deo sacrificio ritu oblatus, qui inter precamina & sacra a-
nimam tuam exceptam apud se collocabit. Paulinæ tamen in-
terpretationi aduersa.

L.

Non dubium autem est, licet Moses brevitati consulens,
faciliusq; cogitari quā scribi isthæc posse existimās, reticuerit,
filium à patre de toto negotio eo ipso temporis momento, quo
ligabatur, fuisse edoctum, & ad felicem ex hac vita migrationē
præparatū. Alioquin n. cæca & ἀλογος fuisset Isaaci obædientia.

LI.

In primis verò obseruandum est, quod Abrahamus spem
de resuscitatione filij animo probè infixā habuerit, eaq; sola o-
mnes tentationū difficultates superaverit Rom. 4. 17. Ebr. 11. 17.

LII.

Procopius tria commemorat, quæ patris & filij animam
erexerint. Christus enim, inquit, in utroq; adeo radices egerat,
ut filius non timeret fieri victima, pater non doleret filium
offerendo.

*Quibus ra-
tionibus A-
brahamus
fidem suam
& filij fulci-
verit.*

B 2

LIII. Deinde

LIII.

Deinde animo voluebant illud Pauli, quod Deus, qui pulsa sterilitate fecunditatem Saræ largitus esset, è mortuis suscitare posset Isaacum.

LIV.

Præterea promptiores erant freti promissione, quæ sic habet: In ipso benedicentur omnes gentes.

LV.

Modestia quoq; adolescentis, qui patrem relictæ ovis verecundè admonet, mansuetudo senis, qui à filio submoneri se tam placidè patitur, non negligenda est.

Questio quinta de Resurrectione carnis, quam Abraham firmissimè credidit.

LVI.

De resurre- Etione mor- tuorum dis- fertatio. Ad resurrectionem redeo, qua, teste Paulo, Abrahamus triumphavit cum filio in media morte constitutus. Vnde apparet Patriarchis resurrectionem carnis minimè incognitam fuisse, eandemq; illos nobiscum fidè professos esse. Act. 15. 1. Cor. 10.

LVII.

Partiary Saducæi. Saducæos vero Matth. 22. Act. 23. Hymenæum & Philetum 2 Tim. 2. Marcionitas, itemq; Apellis discipulos, quos partiarios nuncupat Tertullianus, eò quod animarum saltem non etiam corporum restitutionem profiterentur, hæc & similia scripturæ testimonia Deiq; infinitam potentiam à diabolo excæcatis oblivioni involuisse.

LVIII.

Cum tamen, hoc negato articulo, universam religionem in Epicuræum numinis contemptum & externam civilemque saltem disciplinam verti necesse sit, 1. Cor. 15. 19. 32.

LIX.

Argumenta. Nam si verum est, quod Seneca ait, omnia in morte fini-
1. ri, etiam ipsam, sequitur profectò, quod Damascenus infert, quod neq; Deus, neq; providentiâ sit, casuq; omnia ferantur & agitentur, Psal. 73.

LX.

Nemo enim, iuxta Tertullianum, tam carnaliter vivit, quàm qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim pœnam, despiciunt & disciplinam.

LXI. Quam.

LXI.

Quam ob causam Rabini, ut ostenderent, corpora suis animabus, poscente sic invariabili Dei iustitia, vicissim esse coniungenda, ut simul vel poenam subeant, vel præmium percipiant, hominem duobus horti custodibus similem commenti sunt, animam quidem perspicaci, cæterum debili, qui se loco movere nequiret, corpus autem valido, sed cæco: ac cum neuter seorsim poma suffurari posset, alterum ab altero gestatum ductumq; id perfecisse, ideoq; in supplicio quoq; iungendos esse, qui communicata opera & vafricie peccaverint.

2.
Ab equitate.

LXII.

Quid verò potentia Dei hac in parte impedimento esset? Idoneus utiq; est reficere, qui fecit: quanto plus est fecisse, quàm refecisse: initium dedisse, quàm reddidisse? Cur non restitutionem carnis credas faciliorem esse institutione. Tertul. in libro de resurr. carn.

3.
à facilitate.

LXIII.

Abrahamus proinde alioquin sanè etiam ante hanc tentationem divinam promissionem (ego ero Deus tuus & Deus feminis tui) nèquaquam de momentaneis præsentis vitæ beneficijs, sed de futuræ potissimum vitæ gloria intellexit, quod Christus clarè indicat, hoc ipso oraculo & patriarcharū fide Sadducæos reprimens, Matth. 22.

LXIV.

Hoc autem tempore non equidem in illam, quæ ad æternam vitam futura est, resurrectionem, animum defixit, sed in ea immobilis hæsit, quæ ad præsentem est vitam, & ita secum ratiocinatus est.

Abrahamus: primus credidit resurrectionem mortui ad præsentem vitam.

LXV.

Cum in Isaaco implenda sit promissio, de posteritate mea stellarum instar multiplicanda, non transibit ille nunc de hac vita in æternam, sed ex morte mihi restituetur.

Quo pacto Abraham

LXVI.

Nisi enim hoc planè modo argumentatus esset, superiori oraculo de amplissima posteritate, deq; semine benedicto, fides deroganda fuisset. Non autem ita Deo paruit iubenti, ut interim diffideret promittenti.

analogiam promissionis & mandati divini conciliaverit.

B 3

LXVII. Nisi



LXVII.

Atq; hinc etiam apparet peculiaris eminentia Abrahamæ fidei. Resurrectionem enim mortuorum ad vitam æternam alij quoq; crediderunt, restitutionem autem mactati ad hanc vitam primus Abraham, absq; exemplo, absq; magistro.

LXVIII.

*Apparentes
antilogia ut
componen-
das.* Hoc illud est, quod Paulus admiratur, Abrahamum duo ista, quæ adversa fronte pugnare videbantur, conciliare potuisse, ut nimirum & unigenitum offerret, & nihilominus promissionem expectaret, dum illum ipsum mactare vellet, de quo dictum fuerat: In Isaac vocabitur tibi semen. Ea vero divinæ omnipotentiaæ fidei intuitu conciliabat, firmissimè sibi persuadens, quod Deus è mortuis illum excitare posset. Ebr. ii. 19.

LXIX.

Eodem igitur pacto nos quoq; in mysterio coenæ Dominicæ & alijs fidei articulis, quoties antilogia oboritur, tutius iter ad conciliationem ingredi non possumus, quàm si omnibus humanæ rationis dubitationibus omnipotentiam Dei opponamus. Luc. i.

LXX.

Propterea Abraham in parabola seu typo filium recepisse scribitur, eo quod resurrectionis Christi & nostræ Isaacus figuram gessit, secundum Dei mandatum mortuus, iuxta fidem patris redivivus.

Questio sexta, an Abrahamus nihil affectus fuerit morte imperata unigeniti filij.

LXXI.

Quomodo interim Abraham secundum carnem fuerit affectus æquum est, ut consideremus. Philo enim existimat, in eo sibi potissimum laborandum esse, ut evincat, illum nec colorem mutasse, nec animū flexisse, sed fortiter vicisse omnes cognationis affectus, & omnia nomina.

LXXII.

Vicit sanè, sed non exiit. Nam si omnes affectus abieci-

set,

set, encomium Stoico alicui aut immani bestiae potius, quam benigno fidelique patri competeret.

LXXIII.

Non enim paterna *σοφία* & flagrantissimo amore patriarcham caruisse ipse Deus testis est, qui ait, sume filium tuum, unigenitum tuum, quem diligis, &c.

LXXIV.

Vnde Alcuinus: Deus ideo in tentatione dixit: Tolle filium tuum charissimum, quem diligis &c. ut ex charitatis admonitione & nominis recordatione, tentationis pondus accumularetur & paternus affectus torqueretur, &c.

LXXV.

Qualis verò fides esset, quæ carnis affectus, quibus cum colluctaretur, nullos omnino haberet? Rom. 7.

LXXVI.

Ita proinde *μεγαλοψυχία* heroum fidei collaudanda est, ne *ἀπαθείς*, *ἀσόγγυς*, *ἀνελεήμονας*, quales infideles ethnici fuerunt, Rom. 1. 31. efficiamus.

Questio septima, quo pacto Deus Isaaci maturationem inhibuerit.

LXXVII.

Filium Abraham ligat, non quod ille fugeret mortemque detrectaret, sicut impij Mahometistæ fabulantur, fugiente Isacco Ismaëlem pro illo fuisse immolatum: sed ut ritum sacrificiorum observaret.

LXXVIII.

Aram ipse pater, non Isaac, ut Iosepho placet, apparavit, ligna composuit, ipsque filium vinctum imposuit, ut Iacobi 2. 21. etiam indicatur. Nam verbum *קָשַׁר* significat ita colligare, ut victimæ solent.

LXXIX.

Cultrum denique sacerdos & pater (horribile cogitatu) arripit, cultrum, inquam, quo instrumento ad cibos & victimas dissecandas utebatur, quod ipsa vocis etymologia *תַּלְכָּת* clarum est.

LXXX. Fal-

Sancti homines non sunt ἀπαθείς, ut Stoici volunt.

Ligatio Isaaci

Ara.

Culter non gladius.

LXXX.

Falluntur itaq; pictores, qui pro cultro gladium pingunt, & mactationem ita exprimunt, quasi pater stricto gladio ferire & capite filium truncare voluerit.

LXXXI.

Nam $\omega\pi\psi$ significat pecudem mactare, cultro in iugulum immisso, ut in Sacrificijs fiebat, Exo: 12. 21.

Iugulatio non decollatio.

LXXXII.

Cum iam cultrum manu teneret, & in iugulum filij adigere vellet, ecce $\omega\epsilon\ \alpha\pi\omicron\ \mu\eta\chi\alpha\upsilon\eta\varsigma$ angelus Domini inclamat, e caelo, Abraham, Abraham.

LXXXIII.

Qualis Angelus.

Angelus iste non creatus, sed ipse creator est, quem omnes angeli adorant, Filius nimirum Dei, id quod ex oratione ejus ad Abrahamum liquet, Ebr. 1. 6. Psal. 97. 8. Nisi enim idem prohibuisset, qui iusserat, fides patriarchæ fluctuasset. Vnde Gregor: Nyss: Qui iusserat, ut feriret, vociferatur, ut parcat.

LXXXIV.

Angelus clamat de caelo.

De caelo clamavit angelorum Dominus, non quod e suprema orbium caelestium sphaera vocem emisit, sed quod ex inaccessa illa luce se manifestaverit, Abrahamo astiterit, omniaq; coram viderit & audiverit. Matth. 2. 17. & 17. 5. Act. 7. 53. & 8. 4.

LXXXV.

Clamat voce mirabiliter in aere efformata & ad aures Abrahami delata, Joh. 12. 28.

LXXXVI.

Iteratio nominis, Abraham, Abraham, indicat, summa opus esse festinatione in cohibendo ictu, qui iugulo filij iam haerebat.

LXXXVII.

Responsum Abrahami, ecce me, obœdientiam & promptitudinem significat, quasi diceret, ne nunc quidem aliquid committam, quod voluntati tuæ, mi Deus, non sit consentaneum: eccum me paratum ad ferendum, dic, quomodo ferire debeam.

LXXXVIII.

Hæc



Hæc cogitans mox ἀπεὸς δόκητον audit mandatum: Ne immittas manum tuam in hunc puerum, neq; facias ei quicquam. Atq; ita servatus est puer, Deo remunerante pietatem, & certante cum amico mutuis officijs, ut pulchrè dicit Philo.

LXXXIX.

Nulla est autem consilij divini mutatio, quod illud iam *Deus non mutat con-* prohibet, quod antea mandaverat: siquidem explorandi gra- *fil. iiii.* tia præceperat, cumq; iam satis illustre specimen suæ fidei Abrahamus ediderit, eadē opus non fuit. Esa. 46. 10. Rom; ii. 29. Ebr. 6. 17.

XC.

Quod ipsum Dominus hic indicat: nunc expertus sum, inquiens, timere te Dominum, cum non subtraxeris filium tuū, vnicum tuum à me.

XC I.

Deus itaq; sinceros conatus fidei pro ipsis habet operibus, vnde Ebr. ii. Rom. 4. & Iac. 2. Abrahamus Isaacū Deo immolasse dicitur, eo quod Abrahamus constanter voluit conatusque est facere, quod Dominus imperaverat, è quo consolationes varijs in casibus petimus.

XCII.

Constans enim voluntas, cū perfecto conatu efficiendi coniuncta, etsi effectus alijs causis impeditus non sequitur, meritò pro ipso opere habetur. Philo de Abr.

XCIII.

Quando Dominus ait, nunc cognovi, quod timeas Dominum, duo incidunt scrupuli. Vnus, an Deus ex facto demum agnoscat animum, cū sit κατὰ νοῦν ὄντως; alter an Deus in tempore alicuius rei notitiam acquirat, quam non ab æterno habuerit, quod ipsius τὸ ἀρχαῖον contrarium est.

XCIV.

Nodum aliqui ita dissolvunt, quod humano more hoc dictum sit, & Procopius sic exponit: nunc cognovi, id est, nunc specimen tuæ pietatis dedisti eximium. Sed nondum hæc quæstioni satisfaciunt, nisi addatur, Deum mentem quidem Iusti perspectam habuisse, iam verò ex opere, hominum more, illam etiam intueri.

XC V.

Augustinus libr. 16. de Civit. D. cap. 32, nunc scivi, inquit, id est, nunc sciri feci: & in Psal. 78. nunc cognovi, id est, nunc feci te cognoscere. Ignotus enim sibi quilibet

C

est

est ante interrogationem tentationis : Probatus autem Abrahamus factus est cognitus sibi.

XCVI.

Verum & hæc expositio contorta videtur, cum textus nō de Abrahami sed Dei scientia disertè loquatur.

XCVII.

Rectius itaq; dicitur, scientiam Dei duplici ratione considerari, aliàs ut notitiam futuri, aliàs ut approbationem facti: de quo posteriore cognitionis modo Augustin. in Psal. C ait : cognoscere invenimus in scripturis aliquando dici pro eo, quod est, placere. Vt Matth. 7. non cognovi vos, id est, in regula iustitiæ meæ vos non agnosco.

XCVIII.

Quomodo autem, inquis, Deus cognoscit id in tempore, quod ipse in Abrahamo se effecturum ab æterno præscivit ? Fides enim & obædientia Patriarchæ proculdubio à Deo non ab homine sunt. Ioh. 6. 2. Cor. 3. Et vero, secundum Damascenum lib. 1. cap. 12. Deum nihil latere potest, imò omnium inspector est. Intuetur enim omnia priusquam deducantur ad ortū, ἀρχόνως ἐννοήσας καὶ ἐκασομένη τῶν δειλητικῶν αὐτοῦ ἀρχονορ ἐννοία.

XCIX.

Respondet Augustinus libr. 5. de Genes. ad lit. cap. 18. Omnia apud Deum, antequam fierent, & erant & non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sui natura. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quam illo, quo ea noverat, ut faceret : apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

*Questio octava, de ariete in dumeto
harente.*

C.

Vnde sit aries, quem Abraham cornibus dumeto implicitum à tergo conspicatur, diversæ sunt sententiæ. Quidam enim existimant, illum alicunde de gregibus divina ordinatione adductum esse.

CI. Iosephi

CI.

Iosephi & Lutheri sententia magis consentanea, qui sta- *Aries à Deo*
 tuant, illum ibidem divinitus creatum esse. Licet Alcuinus *subitò crea-*
 communi multorum errore opinetur, nullas creaturas nunc *tus.*
 produci, postquam dictum est, Deum die septimo ab opere suo
 quieuisse. Vnde Rabini & diluvij & naturæ immemores fabu-
 lantur, arietem ab initio mundi isthic fuisse. Cui opinioni re-
 pugnant historiæ Exod. 8. 9. 10. 16. 17. Iohan. 6. &c.

CII.

Subtilius porrò quam verius, quod Procopius scribit.
 Sabech (sic enim fruticetum vocatur) fruticis species est, ex
 quo pendeat aries, crucis formam repræsentans.

CIII.

Nam Sabech non certam aliquam fruticis speciem, sed
 communiter quamcunq; veprium, ramorum, & sylvarum den-
 sitatem ac perplexitatem denotat Esa. 10. 34. Ier. 4. 7.

CIV.

Concinnior Augustini allegoria, qui dumos cornibus
 arietis implexos Spinæ coronæ Christi aliquam speciem exhi-
 buisse tradit de Civit: D. lib. 16. cap. 32.

CV.

Etsi autem non exprimitur Dei mandatum, quo Abra- *Abraham*
 hamus arietem immolare iussus fuerit, divino tamen illū nutu *instinctu*
 & instinctu fecisse dubium non est: ut hinc electitiorum *Dei arietem*
 operum bonæq; intentionis patronis subsidium nullum *sacrificat.*
 accedat.

CVI.

Qui enim à Spiritu sancto edoctus fuerat, ut filio præ-
 diceret, Dominum sibi de victima provisurum, 2. Petr. 1. 21.
 idem quoq; nunc, illo incitante & illuminante, agnoscit, quod
 prænuñciaverat.

*Questio nona, De nova loci ap-
 pellatione.*

CVII.

Ac quod utrumq; Dei opus esse citra hæsitationem sta-
 tuat, consensionem nimirum eventus cum prædictione, & in-

super arietis à se factam maetationem : Idcirco nomen loco in-
dens ad Dominum omnia refert, & id ipsum Moses causali par-
ticula disertè innuit, cum porrò scribit : Propterea vocavit A-
braham nomen loci illius, Dominus providebit. hinc dici solet
hodie, in monte Dominus videbitur: monti nomen Iehovæ in-
ditum, ut Ex. 17. CVIII.

Onkelus paulò aliter reddidit hoc modo: Et oravit atq;
immolavit Abraham in loco illo; & dixit coram Domino :
Hic erunt servientes generationes. Propterea dicebatur in die
hac, In monte isto Abrahâ coram Domino immolavit. Rabini
enim proverbiale hoc vaticinium 1. Reg 8. impletum aiunt; nos
in passione Christi. CIX.

Indicat autem Moses duo, quod nimirum Abraham in
perpetuam tantæ rei memoriam montem vocaverit, Iehovah
Iireh, id est, Dominus videbit, ut hebraismus habet: & quod
posterì in proverbium hanc appellationem verterint, ut dice-
rent, Iehovah Ieraëh, id est, Dominus apparebit, seu videbi-
tur. Hieronymus tradit hinc etiam morem, ut Iudæi in festo Tu-
barû cornu clangerent, manasse, ut arietis recordarentur. Lev:
23. Num. 29. CX.

Nam ista duo coniuncta sunt. Ut enim Deus nos clementer
aspiciat, nobisq; de vitæ huius commodis æternaq; salute pa-
ternè prospiciat, necesse est, ut nos ipsum fide intueamur & a-
gnoscamus Ebr. 11. 1. Cor. 13. Vnde illud Psal. 34. Videbitur Deus
deorum in Zion.

Dominus

*videbit &
videbitur.*

CXI.

Qui proinde suam vult esse hanc consolationem יהוה
יהוה Dominus providebit, meminerit sui quoq; muneris esse,
ut in monte, cum tentato Abrahamo, patienter expectet
proverbium יהוה יהוה Dominus, depulsa calamitatum nu-
be, videbitur. CXII.

Monet autem nos pium hoc adagium, Dominus videbit
& videbitur, de divina providentia, & duo potissimum
subijcit. CXIII.

Providentia

*Dei non est
generalis sed
singularis.*

Primò quidem quod providentia Dei non sit generalis
& confusa, sed singularis & exacta omnium minutissimorum
notitia, qualis hæc erat, quod Deus tam attentis oculis in ipso
mortis

mortis articulo & fervente patris ictu medium sese ingessit.

Matth. 10. Psal. 121. Exod. 12. Psal. 50.

CXIV.

Nisi igitur Hieronymi sententia, qua dicit in Abacuc, absurdum esse ad hoc deducere Dei maiestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur, quota pulicum & muscarum sit multitudo, quotve pisces nant in aquis, sic exponatur, quod Deus quidem singula ista & his etiam minutiora exactè cognoscat, non tamen modo cognoscendi, qui sit per momenta & intervalla successivè, sed notitia intuitiva, qua omnia ἀδρόωσιν simul coram aspicit, ab Epicuræismo vir iste excusari hac in parte non poterit. Vide Lombard. lib. 1. dist. 40.

*Hieronymus negat
minutiorum
verum pre-
videntiam.*

Alterum deinde, de quo hic non leviter admonemur, est, quod bona Deus prævideat efficiendo & producendo, sicut in Abrahamo patuit, cuius fidem non modo cognoscit, sed etiam operatur Phil. 2.

*Deus aliter
prævidet
bona & aliter
liter mala*

CXVI.

Mala verò prævidet & prænunciat Dominus, minimè autem efficit, nec quenquam ad ea instigat. Psal. 5. Iac. 2.

CXVII.

Bona proinde Deus prævidet, ut sua, peccata verò non ut sua, sed ut diaboli & carnis opera.

CXVIII.

Vnde memorabilis est Augustini sententia in cap. 12. v. 39. *Mala Deus non efficit.* Ioannis tractatu 53. Deus futurorum præscius per prophetam prædixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit: neq; præscisset mala eorum, nisi haberent ea. Non enim ideo quenquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata prænovit: *ILLORVM ENIM PRÆSCIVIT PECCATA, NON SVA,* non cuiusquam alterius, sed ipsorum. Ideoq; si ea, quæ ille præscivit ipsorum, non sunt ipsorum, non verè ille præscivit, sed quia illius præscientia falli non potest: sine dubio non alij, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit.

Questio decima, de Juramento Dei.

C 3

Peracto

CXIX.

Peracto autem sacrificio angelus ille Domini, qui Dominus ipse erat, denuò Abrahamum compellat, & Iuramento suam illi gratiam spondet.

CXX.

Deus iurat per seipsum. Ad iuramentum primò quod attinet, per meipsum, inquit Dominus, juro. Per maiorem enim iurare non poterat. Ebr. 6. ver. 13.

CXXI.

Damascenus lib. 1. Orth. fidei cap. 14. iuramentum Dei inter ea refert, quæ humano more divina maiestas facit, & ait, iuramentum significat immutabilitatem consilij eius.

CXXII.

Quorsum Deus iuret. Eodemq; pacto Augustinus: Quid est, inquiens, Dei veri veracisq; juratio, nisi promissi confirmatio, & infidelium quædam increpatio. lib. 16. C. D. cap. 32. Adde quod iuramento Deus omnem dubitationem pontificiam & carnalem à fide nostra arcere vult secundum Lutherum.

CXXIII.

Causa promissionis indicatur Abrahami oboedientia, quandoquidem, inquit Dominus, fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, unico tuo.

CXXIV.

Nullum est dubium, quin Paulus Rom: 8. cum ait, Deum proprio suo filio non pepercisse, & Christus Ioan. 3. cum dicit, sic Deus dilexit mundum, &c. huc respexerit, ad typum in Abrahamo præfiguratum.

CXXV.

Sed in applicatione typorum diligenter observari debet Damasceni regula, quam tradit lib. 3. Orth. fidei cap. 26. οὐκ ἀνάγκη παντελῶς ἢ ἀνελλιπῶς εἶσθαι τὰ παραδείγματα. ἀνάγκη γὰρ ἐν τοῖς παραδείγμασι ἢ τὸ ὁμοιομδεωρεῖσθαι ἢ τὸ παρεκπλαγμένον. Quod enim in omnibus simile est, idem planè non exemplum est, &c.

CXXVI.

Non modo frivolum itaq; sed etiam Nestorianum & Calvinianum est, quod apud Theodoretum dialogo tertio disputatur, quod, sicut Abraham non pepercisse filio dicitur, τῆς προθυμίας, inten-

intentionis & voluntatis respectu, ita etiam æternus pater proprio suo filio non peperisse scribatur, Rom. 8.

CXXVII.

Christus enim Dei filius Deusq; ipse non tantum *πρόθυμα* & intentione Patris, loquendi modo & phrasi, ut Calvinistis placet, sed revera passus est, Act. 20. 1. Cor. 2.

Isaaci & Arietis simile male ad mysterium passionis dominicæ detortum.

CXXVIII.

Proinde eiusdem Nestorianæ quoque farinæ est, quod ibidem Theodoretus & alij ad declarandum id, quomodo Christus sit passus, non patiente divinitate, sed secundum carnem, adhibent typum Isaaci & arietis, & censent, sicut immolato ariete Isaac immolari dicitur, ita crucifixa Christi carne, Deum crucifigi. Sed alij aliter typum accommodant. Vide Cyrill. lib. 7. Gen.

CXXIX.

Promissio deniq; ipsa duo beneficiorum genera completitur, posteritatis nimirum incrementum & felicitatem, & seminis illius benedicti præstationem, sicut iam aliquoties de hac re dictum est, Gen: 12. 3. 18. 18. 21. 12.

CXXX.

Principale membrum promissionis, in semine tuo (quod est Christus Gal. 3.) benedicentur omnes gentes terræ, nequam ad universalem omnium hominū, sive credant, sive non credant Electionem extendendum, sed iuxta infallibilem Pauli interpretationem sic exponendum est, quod fideles benedicantur cum fidei Abrahamo, Gal. 3. 8.

Universalis benedictio quomodo accipienda.

CXXXI.

Et Lutherus hic regulam tradit: Notanda est, inquit, explicatio particulæ universalis (Omnes gentes benedicentur) scripturæ sanctæ usitata, videlicet, quod nihil gentium benedictum sit, nisi per hoc semen.

*Questio undecima, de Iustificatione
Abrahæ.*

CXXXII. Ve

CXXXII.

Iacobi sententia de iustitia Abrahami. Vt autem hic de iustificatione Abrahami quæramus, Iacobus facit, qui ita scriptum reliquit: Abraham pater ille noster nonne ex operibus iustificatus est, cum obtulisset Isaacum filium suum super altare Iac: 2.21.

CXXXIII.

Verum salvifica fide Abraham iustificatus est multo ante Genes. 15. quam Isaac nasceretur, imo iustificatus est fide in præputio, ne iustitia imputaretur circumcisioni Rom. 4. 10. Gal. 3. 17.

CXXXIV.

Iacobi epistola. Si proinde Iacobi epistolam non prorsus repudiatam velimus, necesse est, ut eius verba non de fide, quatenus in iustificationis actu consideratur, ubi sola nos iustificat Rom. 3. & 4. Eph. 2. Rom. 11. sed quatenus per se extra negotium iustificationis perpenditur, ubi honorum operum fructu fides viva à mortua discernitur, accipiamus, illumq; non de iustificatione ipsa coram Deo, sed iustificationis evd'ei coram hominibus agere statuamus.

CXXXV.

Interim tamen illud notandum venit, quod licet obedientia & alia bona opera non impetrent iustitiam & vitam æternam, plurima tamen beneficia à Deo obtineant. 1. Tim. 4.

CXXXVI.

Cuius rei luculentissimum exemplum est Abraham, cui Deus pollicetur, quod tam posteris quam ipsi cumulatè benefactor sit, eam ob causam, quod divinæ voci morem gesserit.

Questio duodecima, De familia Naboris.

CXXXVII. In

CXXXVII.

In fine capituli Moses viam sibi sternens ad sequentem narrationem, familiam Nahoris, qui frater fuit Abrahami, per-
censet.

CXXXVIII.

In ea verò genealogia præter Rebeccæ genus, cuius causa recitatio instituitur, observari debet, quod Vz fuerit Nahoris primogenitus. Alius fuit Vz filius Arami, nepos Semi Gen. 10. 23.

CXXXIX.

Cum autem Iob fuerit è terra Vz, seu, quod idem est, Huz Iob. 1. & Elihu amicus eius, quem Ebræi & Hieronymus existimant esse Bileamum Num. 22. è regione Buz Iob. 32. 2. omninò consentaneum est sanctum Iobum ex hac familia originem traxisse. Nihilq; habet incommodi, quod Origenes & Ebræi opinantur, illum circa ea tempora, quando Israëlita ex Ægypte sunt egressi, vixisse, eiusq; librum hebraicè à Mose conscriptum esse, ut Israëlitis consolationes suppeditaret.

CXL.

Perperam igitur quidam, ut habet Alcuinus, Iobum de gente Esavitica natum opinantur, adducti, teste Hieronymo, adulterina quadam libri eius versione.

CXLI.

Præsertim cum historia Iobi circumstantiis suis innuat, illum in Mesopotamia Syriæ Chaldæis & Babylonijs vicina habitasse, & disputationes Elihu ineptissimæ Bileami ingenium ad unguem sapiant. Certè longævitas post Mosis tempora non amplius usitata Iob. 42. Psal. 90. sacrificium non apud arcam paratum, nomen Schaddai frequenter inibi Deo tributum & his similia evincunt Iobis antiquitatem.

CXLII.

Adhæc cum hic quoq; mentio fiat Arami, unde Aramæi, id est, Syri denominati sunt, liquet inde gentis & linguæ Aramæicæ, id est, Syriacæ vetustas.

LAVS DEO.

*Thesi 28. pro flagrantissimum
lege flagrantissimam.*

D

Allegoria

*Allegoria capituli 22. ex Augustini Sermone 71.
de tempore, quas penè eodem modo tradit
Origenes & Cyrillus.*

I.

Abraham, quando Isaac filium suum obtulit, typum habuit Dei patris, Isaac verò typum gessit Domini Salvatoris.

II.

Duo pueri, quos cum asina Abraham remanere iussit, typum habuerunt populi Iudæorum, qui pro eo, quod in Christum non erant credituri, ideo ad locum, ubi immolandum erat, ascendere non poterant.

III.

Asina illa significavit Synagogam, Aries verò typum Domini gessit.

IIII.

Quod verò Isaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit, & in hoc Christum Dominum figuravit, qui ad locum passionis crucem suam ipse portavit, iuxta prophetiam: erit principatus eius super humerum eius, Esa. 9.

V.

Quod Aries occisus est, & Isaac non est occisus, ideo factum est, quia Isaac figura, & veritas non erat: in ipso designatum est, quod postea in Christo completum est.

VI.

Videte Deum cum hominibus magna pietate certantem. Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, & Deus immortalem filium, pro hominibus obtulit morti.

Chrysofostomus: hom: 47.

Hæc omnia figura fuerunt crucis, propterea & Christus Iudæis dicebat, Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum,

meum, & vidit & gavisus est. Ioh. 8. Quomodo vidit, qui temporibus præcessit: per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac: ita & rationalis agnus oblatus est pro mundo. Unigenitus illic, & unigenitus hic: dilectus illic, & germanus, dilectus & hic ac germanus. Hic enim est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. A patre ille in holocaustum offertur, & hunc pater exposuit: & clamat Paulus Rom. 8. Qui proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, &c.

Cyrillus lib. 7. in Gen:

Si quid humanum dicere liceat, ægrè quodam modo Deus ferebat, cum filium suum ad mortem pro salute humani generis traderet, quamvis certò sciret, quod nihil adversi posset pati, cum Deus & ipse natura esset. Nam dic quæso, quonam pacto amorem in nos intelligeremus Dei, si mœrore etiam affici non videretur, cum filium suum pro salute hominum traderet? Hoc enim intelligimus, cum Paulus, non pepercit, inquit, filio suo.

Origenes hom: 8. in Genes.

Multi estis patres in Ecclesia Dei, qui hæc audistis. Putas aliquis vestrum ex ipsa historia narratione tantum constantiæ acquirit, ut cum forte amittitur filius morte communi, adducat sibi in exemplum Abraham? Et quidem à te non exigitur istud magnitudinis animi, ut ipse alliges filium, ipse gladium pares, ipse unicum iugules. Proposito saltem & mente constans esto, fide fixus lætus offer filium Deo.


Esto sacerdos animæ
filij tui.



D 2 AD

AD NOBILISSIMUM
IVXTA ET DOCTISSIMUM

Iuvenem, Dn. MATTHIAM HOE,
Viennensem amicum & convictorem, inter
plures summum.

 *Vngis, Theologæ, novem sorores,
Suada, nec satis hoc, sed & Themistos,
Quod tempus superest, amas sacratæ
Impartire, rudis sit ergò, quisquis
Soli Lampada te neget paterni.*

IUSTVS RUPELIVS Loranus
Fr. Iuris & Poës: Studiosus.



AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237



sb.

Wort







Farbkarte #13

B.I.G.

TIO BIBLICA XIX.
II, CAPITE

os, ad disputandum
proposita.

De qua
O. M. A.
Præfide

NE GESNERO, S.S.
Æ DOCTORE ET PRO-
publico, in Academia
Vitebergensi.

vij, Anno 1599. pro viribus, exercitijs
gratiâ respondebit.

THIAS HOE,
obilis, Austriacus,



ITEBERGAE,
atur Typis Meissnerianis,
M. D. XLIX.

